DISSERTATIO JURIDICA
DE
LIBERIS EXPOSITITIIS
Vulgò
Fündlingen.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

QUAM

DEO CLEMENTER ADIUVANTE
BENEVOLO INDULTU MAGNIFICI
ICTORUM ORDINIS
IN ILLUSTRI IULIA
Publicæ Eruditorum Cenſuræ ſubmittit

PRÆSES
IOACHIM CHRISTOPH Stiſſer
QUEDL. SAXO.
RESPONDENTE
JOHANNE Backmeiſter
ROSTOCH. MEGAPOL.
AD D. MARTII

HELMSTADII,
Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typogr.
CIↃ IↃC LXXVII.

CAPUT I.

DE NOTATIONE NOMINIS ET DEFINITIONE.

SUMMARIA.

Ingreſſus. 1.
Etymologia vocabuli Infans. 2.
Infans quid proprie denotet. 3.
Alia ſignificatio. 4.
Quis in jure Romano dicatur infans, 5.
In Hiſpania primogenitus ex Rege infantis titulo honoratur. 6.
Etymologia vocabuli Expoſititius 7.
Quid ſit Expoſitio. 8.
Quomodo differat ab abdicatione Liberorum.. 9.
Modus abdicandi apud Græcos, 10.
In locum abdicationis ſurrogata eſt Exhæredatio. 11.
Cauſa abdicationis apud Græcos. 12.
Differt Expoſitio à venditione partus ſangvinolenti. 13.
Infans per ejusmodi venditionem non fiebat Servus. 14.
Hodie abolita eſt venditio partus ſanguinolenti. 15.
Differt Expoſitio ab abjectione. 16.
Differt etiam ab abactione. 17.

MEmor effati Socratis hominis ſui temporis 1.
ſapientiſſimi, quod ſcilicet principium e-
ruditionis ſit verborum intelligentia, meri-
to propoſitæ materiæ initium facio â no-
mine, per quod res ipſa ſignificatur. Vo- 2.
cabulum infans orriginem debet verbo *fari*
quod idem denotat ac loqui. . Hinc infans quaſi fandi im 3.
pos aut fandi copiam non habens. Denotat enim homi-

nem primæ ætatis qui cum intellectu fari ſeu loqui neſcit, quod etiam exprimunt germanica verba ein unmündig
4 Kind. Præter communem ſignificationem verbum infans interdum etiam eum ſignificat, qui non habet adminiſtrationem, dum vel pater vel frater natu major vivit, & eſt quaſi pupillus adhuc ſub cura Tutoris. Hinc etiam vocatur Unmundig / quaſi careat ore, cum agitur de ipſo obligando, ſicuti is qui curat res, vocatur Furmunder / quaſi ſit
5 os pupilli, Calvin. *Lex Jurid. vocab. infans.* Aliter quoque ſumitur in jure noſtro, ibi enim non ſolùm denotat hominem loqui neſcientem, ſed etiam eum, qui fari quidem poteſt, ſeptem tamen annis minor eſt, *L. 18. C. de jur. delib.* &
6 tunc infante major dicitur fari poſſe, *L. 5. ff. de R. I.* In Hiſpania titulo infantis honorantur, qui ex Rege nati, nondum tamen ad ſceptra evecti, quod nondum habeant poteſtatem fandi in republica, Speidel. *ſpec. jur. verb. infans.*
7 Expoſititiùs vero eſt nomen, idq; ut vocant adjectivum originem debens verbo exponere, quod compoſitum â præpoſitione *Ex* & verbo *ponere*, quod ſignificat in loco eſſe facere, vel jacere. Martin. *Lex. Philolog. verb. Pono.* Et ab hac expoſitione ſive ejectione & poſtea ſecuta inventione expoſiti iſtiusmodi infantes vocantur Fundellkinder / quaſi gefundene Kinder / vel uno nomine Fundlinge.
8 Quibus præmiſſis me confero ad deſcriptionem, ex quâ totius materiæ natura & ſignificatio eluceſcit. Deſcribi ergo poterit *expoſitio*, quod ſit *actus, quo liberi à Parentibus ſeponuntur animo ſibi non habendi.*
9 Differt expoſitio ab abdicatione liberorum quæ etiam per ſe ſatis gravis & dura erat. Apud Græcos enim per abdicationem filius negabatur filius eſſe, & pater pater, &
10 ita quaſi vis fiebat naturæ. Hæc abdicatio ita fiebat, ut
exutus

exutus veſtibus ſive ſpoliatus dimitteretur, ut nullus eum recipere deberet, niſi læſæ reipublicæ reus dici vellet. Quamvis poſtea patri eum in gratiam recipere, & ſibi reconciliare liberum fuerit. Samuel Petitus *in Comm. ad LL. Atticas fol. 157. & 158.* Petr. Gregor. Tholoſan. *de Republ. Lib. 14. Cap. 3. n. 7.* Et haſce abdicationes Patri tum demum permittit Plato, *Lib. 11. de Legib.* quando fiunt cum conſenſu & ſuffragio omnium propinquorum, apud quos pater accuſat filium, dignumque oſtendit ut abdicetur, data licentia defendendi filio; Et ſi plurima vota adſint de illo abnegando, depelli filium jubet. Quod tamen tanquam ſatis inhumanum optimo jure judicatum â Romanis, qui aliquando potius maluerunt vitæ & necis poteſtatem Parentibus concedere, quam hanc abdicationem, teſte Dion. Halicarnaſſ. *in 2.* quod apparet ex *L. f. C. de patr. pot.* Sed & hic modus abdicandi 11. *per L. 6. C. eod.* omnino eſt improbatus, & in ejus locum ſurrogata exheredatio. Quod ſi tamen filius cauſam exheredationis præbeat, eum ex ædibus paternis ejici poſſe probari videtur ex *L. 132. ff. de V. O.* teſte Brunnem. *Comm. ad dict. L. 6. C. de patr. pot.*

Abdicatione longe crudelior eſt expoſitio infantum, 12. ſiquidem illa apud Græcos fieri non poterat ſine cauſa, quæ potiſſimum erat, Si filius noctu foris cubuiſſet, Si commesſaretur, Si lenones pulſaſſet, Si libidini incumberet, Si patri obedire nollet, ſed ejus voluntati contumax repugnaret. Calvin. *Lex. Jurid. vocab. abdicatio.* Sed infantes nullius culpæ, nullius delicti rei ſunt; Nec enim in hos cauſa poteſt cadere, ut per expoſitionem ſæpè morti crudeliſſimæ & atrociſſimæ, nempe famis tradantur.

Differt etiam expoſitio à venditione partus ſanguinolenti, ita dicti, quod recens natus ſanguine materno ſit 13. madidus, quem Pater tempore ſummæ inopiæ, ſcilicet

 famis

ſamis vendere poterat victus cauſa, ne fame infans cum parente periret, ſed victus ei præberetur, *L. 2. C. de patrib. qui. fil. diſtr.* Fiebat vero ita venditio, ut poſtea Patri nihilominus competeret facultas redimendi partum, vel aliud mancipium dando partum liberandi, Brunnem. *Comm ad L. ult.*
14 *C. de patr. qui. fil. diſtr.* Non enim per hanc venditionem infans venditus fiebat Servus quoad ſtatum, licet in ſervitute eſſe rectè diceretur; Sed potius futuræ operæ filii vendebantur, ſalva manente libertate. Vnde à patre redemti non fiebant liberti, ſed ingenuitati reſtituebantur, Perez.
15. *ad tit. C. de patr. qui. fil. diſtr. num. 1.* Hodie vero ejusmodi venditionem non amplius locum habere volunt Dd. Sed tali caſu contingente Magiſtratum ſubvenire debere ſtatuunt, Balduin. *in LL. Conſtant. M. Lib. 2. pag. 201.* Struv. *Ex. 23. §. 27.*

16. Differt etiam ab abjectione, quæ crudelior eſſe videtur. Sæpè tamen expoſitio & abjectio promiſcuè uſurpantur.

Quod etiam differat ab abactione facile apparet. Ab-
17. actio enim partus vitalis neceſſario infert mortem, & abigit partum nondum editum. Hæc autem expoſitio non ſemper enecat liberos, & contingit circa liberos jam natos & editos. Quibus præmiſſis accedo ad

CAPUT II.
DE
ILLICITA EXPOSITIONE INFANTUM.

SUMMARIA.

OLim Expoſitiones Infantum licitæ fuere. 1.	*Quod exemplis probatur.* 2.
	Modus exponendi apud Indos. Gathe-

Gatheos & Brachmanes. 3.
Cauſa Expoſitionum. 4.
An Iſmael recte dicatur expoſitus? 5.
Hodie Expoſitio eſt illicita. 6.
Subjiciuntur rationes. 7.
Etiam bruta ex ſe nata alunt & fovent. 8.
Crimen Expoſitionis deteſtabilius videtur homicidio in adulto homine commiſſo. 9.
An partus monſtroſus licitè exponi poſſit? 10.
Subjicitur diſtinctio. 11.
Partus mutili vel ſuperflui quid habens non debet exponi. 12.
Ariſtoteles notatur. 13.
Nonnunquam natura altera parte compenſat quod altera negavit homini. 14.
Quod probatur exemplis. 15.
Licentia exponendi & jus vitæ & necis hodie Parentibus non competit. 16.
Nonnunquam evenit ut Mulieres una vice plures edant partus. 17.
An propter multitudinem Liberorum aut propter plures partus licitum ſit exponere. 18.
Ariſtoteles ſuadet procurare abortum. 19.
Quod conſilium improbatur. 20.
Pœna abortum procurantium. 21.
Quo tempore partus in utero habeatur pro vitali. 22.
Quando Parentes non ſufficiunt alendis Liberis poſſunt illos Magiſtratui offerre. 23.
Quod & apud Thebanos obtinuit. 24.
An Brephotrophia Fundelhäuſer *in Rep. ſint toleranda?* 25.
Quod affirmatur. 26.
Nonnullis in locis certi reditus ad ejusmodi domus deputantur. 27.
Deſcriptio celebris Orphanotrophii quod eſt Argentorati. 28.
Matres non lactantes Infantes ſuos, eos quaſi expoſuiſſe dicuntur. 29.
Subjiciuntur rationes. 30.
Quæ Matres hic intelligantur. 31.
Recenſentur nonnulli modi expoſitionum. 32.

EXpoſitiones infantum olim non modo licitas, verùm e- 1.
tiam â Regibus & Principibus certis ex cauſis eſſe introductas & imperatas, hiſtoriarum monumenta teſtantur.
Vt ex pluribus pauca adducam, Romulum de exponendis 2.
liberis

ſiberis quondam tuliſſe legem aliquam teſtatur Dionyſius Halicarnaſſeus *lib. 2. fol. 88.* Ita enim ille: *Primum enim neceſſitatem colonis impoſuit educandi quicquid eſſet maſculum, & e filiabus primogenitas. Nullam autem prolem necare permiſit minorem triennio, niſi ſi quid mutilum aut aliquid prodigioſum in ipſo partu editum fuiſſet. Tales enim fœtus exponi à parentibus non vetuit, ſed indicatos prius quinq; viris, vicinis proximis, ſi illis quoque exponendos viſum fuerit. Contra hanc legem committentium præter alias mulctas etiam dimidium bonorum addixit ærario.* De Indis Gathæis & Brachmanibus narrant, illos e-

3. ditum infantem poſt duos menſes in publico concilio ſpectandum exhibuiſſe, hunc in finem, ut ſi ejus indoles & forma probaretur prudentibus, vivus ſervaretur & bonis artibus inſtrueretur. Sin minus, vel exponeretur in ſylvas, vel vero ſtatim omnibus præſentibus & videntibus occideretur. Tholoſan. *de republ. L. 15. Cap. 1, n. 16.* De expoſitione plenæ ſunt fabulæ Terentii & Plauti.

Cauſæ tamen expoſitionis erant variæ, Quam maxi-

4. mè autem erant paupertas, pudor injuſtæ Veneris, Nonnunquam etiam Parentes ſomniis vel vaticiniis territi & admoniti, quaſi liberi in ipſorum perniciem eſſent nati, illos potius exponebant quam trucidabant. Speidel. *ſub voce* Kinder hinwerffen. Alia cauſa expoſitionis in ſacro Codi-

5. ce refertur de Moyſe *Exod. 11.* Adducunt huc nonnulli etiam exemplum Iſmaelis. Verum ex ſacra hiſtoria apparet, quod Iſmael jam pubes propter malos mores è domo Abrahami potius dimiſſus quam expoſitus ſit. De Semiramide teſtatur Diodor. Sicul. *Lib. 2. Bibliothec. C. 4.* De Cyro Herodotus *Lib. 1. num. marg. 20.* De Romulo & Remo hi-

6. ſtoria Romana ſatis loquitur. Verum cauſæ expoſitionum à Gentilibus allatæ expoſitionem non excuſabunt. Et enim

7. hæc expoſitio (1) eſt contra naturalem cognationem, quam natura

natura inter omnes conſtituit, & inſidias contra hominem innocentem ſtruendas plane prohibuit, *L. 3 ff. de I. & I.* (2) Eſt contra primævam conjugii inſtitutionem. Ipſe enim Deus ſtatim à condito mundo primis Parentibus injunxit, ut creſcerent & multiplicarentur: Quæ primæva LLatoris Divini ſanctio obſtringit omnes ad generandam ſobolem, quantum quidem in ipſis eſt, adeò, ut contra facientes, & multiplicationem impedientes, graviter contra hoc æternum decretum & primævum naturæ jus peccent. Magnif. Dn. Eichel. *Eleg. lib. De Jure quo nat. liberi & Par. ſibi inv. ſunt obſtr. §. 15.* Quomodo autem multiplicari poſſet genus humanum, ſi fœtum usque ad nativitatis tempus integrum quidem conſervares, natum tamen non agnoſceres, tutelam & curam ejus non ſuſciperes, ſed abjiceres & exponeres? Facile enim tunc pereundum eſſet omnibus, licet ſalvi & incolumes in lucem eſſent producti.

Hujus juris naturæ ſimulacra videmus etiam in ipſis 8 brutis animantibus, quibus naturæ Autor impreſſit, ut ex ſe nata alant & foveant tamdiu, donec ſibi ipſis proſpicere queant. Imò ſi ab homine quodam ſuæ ſoboli vis inferatur, tanto conatu usque ad admirationem reſiſtere nituntur, ut potius vitam ipſam profundant, quam injuriam ſuis inferri concedant, & ſic hominem, animal ratione præditum, docent, quam graviter peccent exponentes vel negligentes ſuos liberos. Vnde educatio in Inſtitutis refertur ad illud jus, cujus ipſa bruta cenſentur peritia, *pr. I. de I. N. G. & C.* Hoc crimen expoſitionis adeo deteſtabile nonnullis videtur, ut ratione atrocitatis illud homicidio in adulto homine commiſſo longe anteponant, quando nempè ita eſt comparatum, ut ex ipſa expoſitione neceſſariò mors ſecutura. Et hoc non immerito; Sunt enim ejusmodi tenelli innocentiſſimi, qui nunquam vel verbo vel facto

quem læſerunt vel lædere potuerunt. Quod ipſum Imperator Juſtinianus optimè ſecum revolvit, quando ita in *Nov. 153 Cap. 1.* loquitur, quod ejusmodi exponentes *omni inhumanitate & crudelitate referti ſint, tanto deteriores homicidio pollutis, quanto calamitoſioribus inferunt.*

Ex his igitur adductis certò liquet, doloſam expoſitionem
10. infantum eſſe contra jus Naturæ. Nunc quærere lubet, quid obtineat in partu monſtroſo ratione expoſitionis? Et placet diſtinctio in partum plane contra formam humani ge-
11. neris editum, & illum, cui contra communem naturæ curſum aliquod membrum vel deeſt vel ſupereſt. Illum, quoniam non pertinet ad liberos, nec pro homine reputatur, aut ullos effectus in jure habet *L. 3. § ult. C. de poſthum.* licet matri quodammodo ad evitandam orbitatis pœnam proſit, exponi poſſe equidem non dubito. Si enim talis licitè occidi poteſt, imò debet, ob illam rationem, ne aſpicientibus horrorem conciliare poſſit, nihil certè prohibebit, quo minus exponens ejusmodi partum à pœna expoſitionis tutus ſit. Conſultius tamen erit, ob dictas rationes, ut potius occidatur & terræ mandetur, vid. Danæus *2. Ethic. Chriſt. 13.* Non tamen ſtatim cuivis privato hic relinquendum, ut is proprio auſu partum monſtroſum aboleat, ſed magiſtratus cognitioni hoc committendum, ut is æſtimet, an partus monſtroſus ita ſit alienus â forma humana, ut nihil cum homine habeat commune.

12. Sed quid de partu mutilo, vel eo qui aliquid ſuperflui habet? Hujus expoſitionem illicitam & ſimpliciter Juri naturæ contrariam eſſe, non eſt dubitandum. Paſſim enim in noſtro jure pro veris liberis reputantur, & eorum jura
13. conſequuntur *L. 14. ff. de ſtat. hom.* Ariſtoteles quidem, qui aliàs in moralibus cum jure Divino conſentire videtur, hic deflectit. Ita enim ille *Lib. VII. Pol. Cap. 16. De tollendis au-*

tem

tem liberis & alendis ſit lex, nihil mancum debileque alere. Sed
hæc lex merito omnibus modis deteſtanda, Dum enim ho-
mo non quoad corpus, ſed quoad animam ad imaginem
Dei creatus ſit, potius animus reſpiciendus quam corpus,
cum non rarò eveniat, ut natura ea, quæ in fabrica cor- 4
poris externa homini denegavit, plurimis animi dotibus
compenſet. Pl. Rever. Dn. D. Meier *in Analyſi ad dict. loc. Pol.
Ariſt.* Exempla, ubi natura altera parte compenſavit, quod 15
altera negavit, quotidiè occurrunt. Si Camerario fides ha-
benda, memorabile eſt, quod refert in *Oper. Horar. Subciſ.
Cent. 3. Cap. 80. de cæco quodam Hemar dicto, qui fuit Dux itine-
ris Caravanæ ſive multitudinis peregrinantium. Cum enim viſu
careret, & nullus alius adeſſet, qui viam in ſolitudinibus noſſet,
Camelo præceſſit, juſſitq; ſingulis milliaribus ſibi exhiberi ad odo-
randum arenam recentem & veſtigiis tactam. Qua ſagacitate,
cum 40. milliaria Italica metiti deſperabundi adhuc in deſerto a-
reno & ſterili vagarentur, eos non procul abeſſe ab habitatis lo-
cis admonuit; Quam prædictionem licet nemo credere voluerit, cum
ex inſtrumentis Aſtronomicis cognoſcerent, ſe 480. milliaria ab
Ægypto abeſſe, & metuerent, ſe aberrando retroceſſiſſe. Tan-
dem tamen, cum in illo metu ultra triduum verſati eſſent, con-
ſpexerunt tria caſtella habitata antea ignota & nemini co-
gnita, cujus incolas quoque, cum potum denegantes ad de-
fenſionem ſe pararent, vicerunt & caſtella occuparunt.* Eo-
dem loco etiam refert dictus Autor, ſe audiviſſe Francota-
liæ cœcum magnâ eloquentia & frequentia publice concio-
nantem in templo Gallis exulibus deſtinato. Cui cum Vir
quidam honeſtus & pater plurium liberorum electionem
dediſſet, ex tribus filiabus adultis unam ducendi in uxorem,
cum tamen prorſus omni facultate videndi deſtitutum, al-
terius commendationi fidem habere noluiſſe ſed petiiſſe li-
centiam honeſtè attrectandi manus ſingularum. Qua ex-

ploratione tactu facta, ex tribus pulcherrimam in conjugem elegit. Nec me movent exempla antea adducta & mores aliarum gentium, quibus fas fuit exponere vel etiam occidere ſuos liberos, inter quas & Athenienſes Græcorum ſapientiſſimi fuere. Hæ enim gentes maximè reſpexerunt ad corpora armis tractandis apta. Quin tamen eo ipſo gra-
16. viter peccarint, Deumque Legis Naturæ Autorem offenderint, non eſt dubitandum. Quod ipſum Romani optimè conſiderarunt, licentiam exponendi, jusque vitæ ac necis, quod olim Parentibus in liberos competebat, abrogantes *L. ult. C. de patr. pot. L. 2. C. de inf. expoſ.* Vt hinc hodiè Pater filium exponens vel occidens pro ratione admiſſi puniatur, & pœnæ parricidii ſubjiciatur, cum patria poteſtas non in atrocitate ſed pietate conſiſtere debeat, *L. 5. ad L. Pomp. de parricid.*

17. Quoniam verò nonnunquam evenit, ut mulieres unâ vice plures edant partus, non ſaltem duos vel tres, ſed interdum etiam plures; Quemadmodum de Irmentrude uxore Iſenberti Comitis Altorffini referunt, illam ſcilicet cum aliquando pauperculam fœminam, quæ tres liberos enixa erat, reprehendiſſet tanquam impudicam, quaſi impoſſibile eſſet,
18. ex uno viro tres filios ſimul ſuſcipere, poſt annum juſtò forte Dei judicio duodecim mares uno tempore peperiſſe. Hinc quæro, an vel propter multitudinem exiſtentium liberorum vel verò propter tres aut plures partus, uno quaſi tempore editos (quæ exempla non infrequentia, neque etiam in hac civitate incognita) licitum ſit unum exponere, præſertim
19. cum hoc contra naturam videatur, ut quæ matribus duo ſaltem ubera conceſſit? Reſpondeo quod non. Ariſtoteles gentilis quidem, antea citato capite ab expoſitione abhorret, ſuppeditat tamen hoc conſilium, quod, ſi propter multitudinem hominum in republicâ aliquâ numerus liberorum

rorum ſit definitus, potius abortus ſit procurandus, & quidem eo tempore, quando fœtus ſenſus vitæque nondum eſt particeps, quã ut genitus exponatur. Quod conſilium tamen 20.
non minus reprobandum ac illa ſententia de partu mutilo. Ille enim ut in nonnullis aliis, ita etiam hoc in caſu rationẽ quã maximè habuit ejus, quod conducere putavit ad Reipubl. utilitatem. Nos tamen tanquam Chriſtiani melius ſentimus nihil utile putantes quod non eſt honeſtum. Et ſapienter ac utiliter jam tum ab Imperatoribus Romanis hoc eſt improbatum 21.
L. 4. ff. de extraord. crim. Jure vero Carolino & Sax. graviſſima pœna in ejusmodi Medeas in ſe & ſua viſcera ſævientes eſt ſtatuta, ut ſi partum vitalem abegerint, pœna ſit ultimum ſupplicium, ubi in profluentem aquam projectæ ſuffocantur P. H. O. *art. 133.* Conſtit. Elect. *4. Part. 4.* Si non vitalem extraordinariè puniantur, & ſolet communiter dictari relegatio aut fuſtigatio. Quoad hanc pœnam verò infligendam non an- 22.
te vitalis habetur partus, quam poſt dimidium tempus, quo uterum geſtavit mulier Carpz. *Pr. Crim. P. 1. qu. 11.* Struv. *Jurispr. Forenſ. Lib. 3. Tit. 24. de extraord. Crim. §. 2.* Dico habetur; Nam ſi certo conſtat partum fuiſſe vitalem, etiam ante dimidium tempus pœnam capitalem locum habere poſſe, me docuit Magnif. Dn. Strykius. *Patronus & Præceptor quondam meus ſemper colendus.* Neceſſe ita erit ut vel nutrices alant ejusmodi matres, quarum domum Divinum Numen numeroſo partu beavit, ne illud, quod tanquam beneficium illis conceſſum, inter onera reputetur.

Sed quid, ſi forſan alicujus facultates non ferant alere 23.
obſtetrices, aut parentes propter paupertatem non ſufficiant alendis pluribus partubus, aut cæteris liberis? Eo caſu tutius erit, ut Magiſtratum adeant, & ibi de paupertate deponant, petentes, ut illorum inopiæ ſuccurratur, quo caſu vel in Hoſpitalia ſi quæ adſint, vel vero in Brephotrophia ſuſcipiendi ibique alendi.

Idem

24 Idem fermè apud Thebanos moris fuiſſe teſtatur Petr. Gregor Tholoſ. *de Republ. Lib. 14. C 3. n. 8* qui vel infantem exponere, aut in ſolitudinem abjicere capitis ſupplicio prohibuerunt. Sed ſi extremâ neceſſitate laborabat Pater, infantulum recens natum cum ipſis faſciis ad Magiſtatum ferebat, qui alteri tradebat levi pretio, pactis & conditionibus initis ut per ſuam fidem aleret, & adultum ſervi vel ſervæ loco haberet, compenſata educatione cum ſervitute. Quod tamen an hodie obtineat, dicam in Cap. ſeq.

25. Quoniam etiam paulo ante mentionem feci Brephotrophiorum, vel illarum domuum publicarum in quibus expoſiti aluntur; Occaſione hujus quæro: An ejusmodi Brephotrophia Fündelhäuſer in rebuspublicis ſint toleranda? Exterminationem quidem ſuadere videtur conſideratio incommodorum inde venientium, per id enim homines ad peccandum invitari primo intuitu videbitur, cum hoc caſu delicta occultentur, & cura infantē natum alendi ſeponatur, quibus ceſſantibus facilius quis allici poſſet ad ſcortationes

26. admittendas quam evitandas. Verum his nihil obſtantibus contrarium magis arridet, cum hoc pacto crudeliſſimæ iſtæ Medeæ coerceantur, ut abſtineant de proprio fœtu necando, ad quòd humanus ſæpè ac turpis pudor miſeras ejusmodi adigere ſolet. Inter duo enim mala illis levius videtur exponere quam necare. Quam grave enim facinus ſit infantes innocentes & nondum baptizatos occidere, nemo eſt qui neſciat. Taceo, quod per infanticidium ex pernicioſa Diaboli ſuggeſtione famæ diſpendii evitandi cauſa commiſſum non ſaltem in vitæ, ſed etiam ſalutis æternæ periculum conjiciantur. Bull. *ad Conſt. Crim. Caroli V. art. 35.* Quæ etiam ſententia non ſolum juris Civilis ſed etiam Canonici textibus ſuſtinetur *L. 19. 22. C de SS. Eccleſ. t. t. C. de Epiſ. &*

27. *Cler.* Imò nonnullis in locis certos reditus ad id deputari ſole-

ſolere refert Dn. Diether/ in addit. *ad Beſold. Theſaur. Pract. voc.* Fundelkinder. Ita enim ille: auß der Welſeriſchen Gerichts Ordnung pag. 10. welcher Beyſitzer ohne erlaubnis des Richters auſſen bleibet/ und in Zeit ehe das viertell Uhrlein auß gelauffen iſt/ kommen wird/ ſoll 2. Pfenning/ und ehe das 2. Uhrlein von dem drittell der Stunde verlief/ ein Schilling in Gold; welcher aber ſo lange auſſen bleiben wurde/ biß das 3. Uhrlein gar außgeloffen/ ſoll 10 Kreutzer geben. Solches Geld ſoll in die Fundell kommen.

Ejusmodi Orphanotrophium admodum celebre eſt 28.
Argentorati, quod vocatur daß Weiſenhauß/ in quo videntur quatuor hypocauſta, plus quam centum infantes capientia. Illud tamen, in quo ægroti curantur, â reliquis eſt ſeparatum. Habent autem ejusmodi infantes in dicta Civitate proprios ſuos ſutores, ſartores, chyrurgos & piſtores, uti etiam certum Medicum. Proprio præterea lectulo unusquisque eſt inſtructus, facta per medium diſtinctione, ut duos capere poſſit. Quilibet etiam ſuis patinis, urceis aliisque vaſis utitur, quod ipſum etiam teſtatur Dn. Diether/ ant. alleg. loc. ſequentibus verbis: Zu Straßburg nennet man es daß Weiſenhauß/ darinnen ein ſchöner Garten und vier Stuben von mehr alß 100 Kindern. Die Krancken haben ein beſondere Stuben. Sie haben jhren eigenen Schneider/ Schuſter/ Balbirer/ Medicum, Beckenhauß. Es hat ein jedes ſein eigen Bette/ in der mitten mit einem Brett unterſchieden; Es hat ein jedes ſein eigen Schüſſel und Geſchir ꝛc. Idem ferè obtinere in Civitate Hamburgenſi referunt.

Ultimo loco paucis agendum reſtat de matribus, quæ 29.
liberos ſive infantes ſuos ipſæ non lactant, ſed aliis nutriendos dant; quo caſu liberos quaſi expoſuiſſe dicuntur. Non 30.
enim eſt matris, ut permittat infantulum ſuum alienarum nutricum lacte ali, cum quo non rarò illorum animus &

corpus

corpus bene ingenitis primordiis inchoatum corrumpitur, & nutricum natura & mores continuâ quaſi conſvetudine addiſcuntur. Petr. Greg. Tholoſan. de Rep. *Lib. 14. Cap. 4.* Ne itaque alieni lactis contagione filius inficiatur, optimam matrem decet, ut ſe integram Parentem præſtet. Vnumquodque enim naturaliter ex eo alimentum accipit, ex quo generatum eſt, Ariſt. *Lib. 1. Pol. Cap. ult.* Beſold. *de Tribus dom. ſoc. ſpecieb, Cap. 3.* §. *1.* Cujus ſententiæ, quod ſcilicet ejusmodi ablactatio non longe ab expoſitione abſcedat, etiam eſt Aulus Gellius *Lib. 12. Cap. 1.* Ita enim ille: *Quod eſt enim hoc contra naturam imperfectum ac dimidiatum matris genus, peperiſſe ac ſtatim à ſe abjeciſſe? aluiſſe in utero ſuo, ſanguine ſuo neſcio quid, quod non videret, non alere autem nunc ſuo lacte quod videat jam viventem, jam hominem, jam matris officia implorantem.* Et porro: *Præter hæc autem quis illud etiam negligere aſpernariq́ poſſit, quod quæ partus ſuos deſerunt, ablegantq́ à ſeſe, & aliis nutriendos dedunt, vinculum illud coagulumque animi & amoris, quo parentes cum filiis natura conſociat, interſcindunt, aut certè quidem diluunt deteruntq́ &c.* Non tamen

31. hic intellectas volo ejusmodi matres, quæ vel propter debilem corporis machinam, aut inopiam lactis officio ſuo fungi non rectè poſſunt, ſed illas tantum, quæ vel formæ ſervandæ, aut libidinis eo citius explendæ cauſa ſui ipſius immemores vivunt. Hæ enim reprehenſionem merentur,

32. illæ commiſerationem. Exponuntur infantes vel plane nudi, vel faſciculis linteamentisque involuti. Olim apud Græcos moris fuiſſe legimus, ut infantes in vaſis fictilibus ad compita exponerentur. Solebant etiam certa monumenta addere, ut poſtmodum facilius à Parentibus poſſent agnoſci, quæ monumenta dici ſolebant crepundia. Plautus *in Ciſtellar.* Terent. *in Eun. Act. IV. Scen. 6. verſ. 15.*

CAPVT

CAPUT III.

DE INFANTIBUS EXPOSITIS QUO LOCO HABEANTUR ET A QUIBUS SINT ALENDI.

SUMMARIA.

INfantes à Parentibus vel Dominis expoſiti non ſunt Servi colligentis ſed liberi. 1.
Poſſunt libere diſponere de ſuis rebus. 2.
Notatur Surdus. 3.
Suſcipiens Infantem expoſitum etiam patriam poteſtatem non acquirit. 4.
Neque Jus ſuccedendi. 5.
An infantes Expoſiti pro juſtis & legitimis Liberis ſint habendi, & ad dignitates admittendi? 6.
Affirmativa ſubjectis nonnullis rationibus probatur. 7.
Facto ſtatuto, ne ad beneficia & officia admittatur, niſi qui honeſto loco natus, non excluditur Expoſitus. 8.
Quodnam ſit forum Originis infantis Expoſiti. 9.
An infans expoſitus inventus in caſu dubio ſit baptizandus? 10.
Quod affirmatur. 11.
A quo infans expoſitus ſit alimentandus. 12.
Adducuntur quædam opiniones Doctorum. 13.
Judici ſuperiorem Jurisdictionem habenti communiter onus alendi tribuitur. 14.
Quod tamen moribus non ſervatur. 15
Infans expoſitus mortuus à quo ſit funerandus. 16.

ACturo mihi in hoc Capite de loco, quo expoſiti habentur, circumſpiciendum eſt, in quo ſint ſtatu, an ſint liberi an ſervi, an filii an patresfamilias, an legitimi an illegitimi, an cives an peregrini. Quod non ſint ſervi, nec Domini exponentis, nec nutritoris ſeu educatoris facile

 appa-

1 apparet. Nam Imperatores Valentinus, Valens & Gratianus in *L. 2. C. de inf. expoſ.* & Juſtinus, *L. 24. C. de Epiſcop. aud.* Juſtinianus in *L. 3. C. de infant. expoſ.* optimè conſtituerunt, quod ejusmodi infantes â Parentibus vel Dominis expoſiti cenſeri debeant liberæ conditionis, *arg. L. 2. ff. qui ſine manum. ad libertat.* ita ut neque ab exponentibus poſſint vindicari jure patriæ vel dominicæ poteſtatis, aut â colligentibus ut ſervi vel libertini detineri, ſed liberi & ingenui ſemper
2 appareant, ſibi acquirant, & bona in ſuos vel etiam extraneos heredes transferant, non habita diſtinctione, an ſusceptores animo credendi, an pietatis ductu liberos ejusmodi ſuſceperint, ne videantur quaſi mercimonio contracto pietatis officium geſſiſſe. Et hanc conſtitutionem, quod ſcilicet partus expoſitus liber cenſeatur, confirmavit Gregor. IX. *in Cap. 1. de inf. & lang. expoſ.* Non autem me movet Surdi
3 opinio, *Tract. de alim. Tit. 6. qu. 19.* adducentis, quod in nonnullis perſonis ille animus pietatis tantum locum inveniat, ut in Eccleſia vel Hoſpitali, conſanguineo, divite inſimul liberali, quoniam in his animus donandi præſumatur. Licet enim in aliis rebus extra caſum expoſitionis hoc ita obtineat, hoc tamen loco fidem non invenit ejus aſſertum, præſertim cum ſit contra expreſſum textum dict. *L. 3. C. de inf. expoſ.* quæ in unoquoque ſuſcipiente pietatis affectum ſupponit, contra quem textum contrarium aſſererere omninò nefas eſt. Accedit inſuper & hæc ratio, quod nullus privatus ad alimentationem & ſuſceptionem ejusmodi infantis cogatur, cum reipublicæ hoc onus incumbat, qui ſi ſine coactione & ex libera voluntate hoc in ſe devolvere voluerit, cum alius alere poſſit & debeat, non alterius, ſed ſuâ culpa damnum ſentire videtur.

4. Vt verò ſuſcipiens non acquirit dominium, ita nec patriam poteſtatem, *arg. L. 16. C. de nupt.* Facit enim hæc

ſuſce-

ſuſceptio alumnum, non autem filiumfamilias, Nam educator alumnam ducere poteſt uxorem, *L. 26. C. de nupt.* neque nutritoribus jus ſuccedendi tributum *L. 10. C. Commu-* 5
nia de Succeſſ. L. 24. C. de Epiſcop. aud. nec alumni â nutritore poſſunt oppignorari, *L. 1. C. quæ res pign. obl. non poſſ.*

An infantes expoſiti inventi & educati potius pro ju- 6
ſtis & legitimis liberis ſint habendi, ita ut ad honores, dignitates & collegia opificum poſſint admitti, an pro illegitimis & ſpuriis, non una omnium eſt opinio. Poſteriori ſententiæ palmam nonnulli præbent, ut quæ primo intuitu vera videtur, nec Legibus deſtituitur. Nam in *L. 23 ff. de ſtat. hom.* Modeſtinus ICtus inquit: quod *vulgo concepti dicantur qui patrem demonſtrare non poſſunt, vel qui poſſunt quidem, ſed eum habent, quem habere non licet, qui & ſpurii appellantur.* De hiſce verò liberis expoſititiis certum eſt, quod patrem non poſſint demonſtrare, atque ita videtur illis non fieri injuriam, ſi pro illegitimis & vulgo conceptis reputentur. Cui accedit & hæc conjectura, quæ de legitimis & veris Parentibus ſolet capi, quod nempè non ſit credibile, in eos potuiſſe cadere tantam immanitatem, etiam â brutis alienam, ut nempe ex ſe natos, præcipuè in eâ ætate abjiciant, & tanta crudelitate in proprium ſanguinem ſæviant. Quæ tamen præſumtio locum habere poteſt in patre illegitimo, qui propter formidinem pœnæ & famæ jacturam nonnunquam eò redigi poteſt, ut filium minus honeſtè natum deſerat, cum illi omnino erubeſcendum, ſi in præſentia honeſtorum virorum ab ejusmodi filio pater monſtretur.

Quæ argumenta, licet probabiliter faciant pro poſte- 7
riori opinione, Verior tamen prior illa videtur, quod ſcilicet expoſiti potius ſint habendi pro legitimis. Palæot. *tract. de not. & ſpur. Cap. 63. & Cap. 20* motus hiſce rationibus quod ſecundum communem & receptam Dd. ſententiam ejus-

 modi

modi infantibus pateat aditus non ſaltem ad publica munera, verum etiam ad dignitates Eccleſiaſticas, licet nemini conſtet de eorum origine, & quo loco ſint nati. Quod tamen ſecus ſe habet in ſpuriis & illegitimis, ut qui ab omnibus dignitatibus & officiis arcentur, *arg. Cap. ſ. X. de fil. presbyt. ord. vel non.* Nec hæc ſententia Legibus deſtituitur, ſiquidem *arg. L. 3. C. de inf. expoſ. & Cap. un. X. eod. L. 24 C. de Epiſcop. aud.* ſtatuitur, quod liberi ita expoſiti ingenui & liberi fiant & maneant, quod ideo à Iuſtiniano ſancitum, ne liberi innocentes iniquitatem ſuorum Patrum ferant, & ex eorum impietate macula ſive infamia aliqua notentur, cum juris præceptis omnino conveniens ſit, ut quisque delinquens pœnam admiſſi ipſe ſentiat, nemoque alieni criminis ſucceſſor conſtitui poſſit, *L. 26 ff de pœn. L. 22. C. eod.* Quo etiam facere videtur, quod non univerſaliter verum ſit, quemlibet infantem expoſitum præſumi ſpurium aut vulgò quæſitum, cum in *dict. L. 3. C. de inf. expoſ. & Cap. un. X. eod.* expreſsè habeatur, quod Pater liberos exponens, ipſo expoſitionis facto jus patriæ poteſtatis amittat, ſine omni ſpe eos unquam vindicandi.

Ex quibus textibus ſatis evincitur, etiam juſtos & legitimos liberos exponi ſolere, cùm aliàs patria poteſtas nemini competat, niſi legitimo patri, & illegitimo plane denegetur *§. 12. I. de nupt.* Nec deſtituimur exemplis liberorum expoſitorum, ex juſtis tamen nuptiis ortorum. Nam de Moyſe, Cyro & aliis hiſtoriæ notæ ſunt, qui vel metu inſtantis alicujus periculi, vel ex aliis prægnantibus cauſis â parentibus ſunt expoſiti. Iuvat & hic, quod, licét in expoſito non ſit certa origo, ſit tamen dubia: In caſibus autem dubiis ſemper eſt facienda præſumtio in meliorem partem, ut hinc expoſitus potius ex legitimo, quam illegitimo coitu natus exiſtimandus ſit, *L. 6. & ibi Dd. ff. de his qui ſui*

vel

vel al. jur. ſunt. Put. *Dec. 2, Lib. 3.* Peregrin. *de fidei commiſſ. art. 43. n. 71.* cum ſæpius non jus, ſed probatio deficiat. Vid. hæc & plura *ap. Palaot.* & Dn Speckhan. *Cent. 3. Claſſ. 1. qu. 14.* ubi objectionibus primo loco adductis reſpondet.

8 Hinc concludunt Dd. quod ſi per ſtatutum ita conventum, ut ad beneficia & officia nemo admitteretur, niſi qui honeſto loco natus & nulla macula infectus, per id non excludatur expoſitus, præſertim cum ſtatutum ſtricte interpretandum, ut propterea reſtringi, non vero extendi debeat ultra id quod expreſſum, *L. 64. §. 9. ff. ſol. matrim.* Cum enim non reperiatur macula, quæ per ſtatutum excluditur, omnino admitti debet. Licet aliter ſentiant, quando adjicitur illa qualitas, quod ſcilicet ex notis parentibus & puro ſanguine progeniti eſſe debeant; Tunc enim propter defectum probationis in tali qualitate faciendæ non admittuntur. Et ita in ſpecie de expoſitis concludere Perezium *de anniverſar. & Capellan. Lib. 2. Cap. 4. n. 39.* tradit Gratian. *Diſcept. Forenſ. Cap. 267. n. 26.*

9 Cum igitur certum ſit, quod ad honores & opificia admitti, & in numero civium haberi queant expoſiti; Non inutile erit hic quærere: Quodnam ſit domicilium, aut locus originis vel patria ſpecialis? Et ſane, quando non conſtat de loco certo, ubi natus eſt expoſitus, ejusque parentes ignorantur, eum haberi pro municipe & Cive ejus loci, ubi eſt expoſitus volunt Dd. Quod ſi autem certitudo adſit de loco nativitatis, in utrisque locis tam expoſitionis quam nativitatis expoſitum haberi pro municipe & cive, vult Mand. *de ætat. min. Cap. 1. num. 22.*

10. Sed quid dicendum ratione chriſtianiſmi expoſiti infantis; Anne inventus erit baptizandus? Communiter quidem in ejusmodi expoſitis affixa videtur aliqua ſchedula, quæ nonnunquam etiam faſciis involuta, ex qua invento-

ges certi redduntur de baptiſmo accepto, inſimul etiam de nomine indito. Hoc caſu ubi certum eſt infantem rite baptizatum, baptizatio non eſt reiteranda. In caſu autem dubio quid hic agendum? Nonnulli diſtinguere volunt ratione ætatis, quæ ex inſpectione capitis vel etiam aliis ſignis ab obſtetricibus cognoſci ſolet, anne ſcilicet infans ſit recens, an vero ante aliquot hebdomades vel menſes natus. Priori caſu baptizandum putant poſteriori non. Alii dicunt, hac formula in baptiſmo utendum: Si baptizatus es, te non baptizo, Si nondum baptizatus es te baptizo. Sed merito rejicitur hæc diſtinctio. Quin enim nonnunquam per aliquot menſes celari poſſint infantes vel ſolum exemplum Moyſis nos docebit. Et cum actus legitimi non recipiant conditionem, multo minus ſanctus hic actus contra Chriſti inſtitutionem conditionem admittet. Quare
11. exiſtimo tutius eſſe in caſu dubio, ſi certa probatio non adſit, infantem baptizari, cum hic ſuperflua, ſi forte acciderint, nocere haut poſſint. Nec dicitur iteratum, quod neſcitur eſſe factum, Dunte *de caſ. conſc. Cap. 14. qu. 22.*

Reſtat ut huic Capiti quædam annectamus de alimen-
12. tis, â quo ſcilicet ſint præſtanda. Olim quidem â Trajano charitate & miſericordia moto in monte Celio ampliſſimam quandam domum fabricatam fuiſſe, ut expoſiti & eorum nutrices per quadriennium ibi alerentur, ex Sabellico refert Munnoz. de Eſcobar. *de ratiocin. admin. Cap 25, n. 46.* ubi etiam refert, quondam in foro Olitorio columnam Lactearem poſitam fuiſſe, ſic dictam, quia ibi infantes lacte alendi
13. deferebantur. Sed quærimus, quid hodie obtineat. Non conveniunt hac in re Dd. Alii enim ſtatuunt rempublicam etiam invitam ad id compelli poſſe, cum illa patris vice fungatur, ut cui naturali ratione & lege incumbat filium alere, *L. 5. ff. de agn. & al. lib.* Cæpoll. *caut. 2.* Alii Eccleſiæ

hoc

hoc onus tribuunt, Abb. in *Cap. 1. n. 2. 3. de inf. expoſ.* Surd. *de alim. qu. 81.* Quod tamen Carpz. non admittere vult, ne 14.
quidem eo caſu, quando in foribus templi exponitur, ſed ſtatuit ad Magiſtratum & quidem eum, qui ſuperiorem habet jurisdictionem, ſpectare *Pr. Crim. P. 1. qu. 10. n. 26. 27.* Dan. Moll. *Semeſtr. Cap. 45. n. 7.* niſi adſint hoſpitalia, in quæ recipi & ali debent. Cum quo concordat Berlich. *Part. 1. Concl. 1. n. 14.* aſſerens, quod ſi infans expoſitus ſit in aliquo loco, ubi uni Superior alteri inferior jurisdictio competit, & neſciatur à quo expoſitus ſit, Iudici ſuperiorem jurisdictionem habenti incumbere curationem & educationem. Licet enim alimentatio videatur pertinere ad cauſas civiles, rectius tamen ad criminales refertur, cum per ſe quidem criminalis non ſit, à crimine tamen tali oriatur, quod certo caſu moribus Sax. fuſtigatione aut perpetua relegatione puniri ſolet, etiamſi partus vivat, Dan. Moll. *Semeſtr. dict. loc.* Verum ſi hodiernos conſulamus mores, fere 15.
quivis Magiſtratus oppidanus vel etiam pagus alit puerum in civitate vel ſuo loco inventum, quod etiam in Friſiâ obtinere teſtatur Sande *Deciſ. Friſ. Lib. 2. Tit. 8. Deciſ. 4.* 16.

Idem etiam obtinere volunt in funerando ejusmodi infante; Nam quoniam illorum hæreditas deſcendentibus non relictis ad principem ſive eum qui merum imperium habet pertinet, *L. 1. C. de bon. vac.* ejus quoque expenſis funerari debere convenit, *arg. Auth. Sicut hæreditas C. de leg. tut.* cum ſecundum naturam ſit, commoda cujusque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda. *L. 10. ff. de R. I. L. un. §. 4. C. de cad. toll.*

CAP.

CAPUT IV.

DE

IURE QUOD INTER PARENTES ET INFANTES EXPOSITITIOS, EDUCATORES ET ALUMNOS INTERCEDIT.

SUMMARIA.

Pater exponens amittit patriam poteſtatem. 1.

Nil intereſt an Pater ipſe an alius eo conſentiente exponat. 2.

Quando infans Patre ignorante exponitur non amittitur patria poteſtas. 3.

Pater repetens infantes tenetur refundere impenſas Educationis. 4.

Pater exponens nepotes expoſiti non habet in ſua poteſtate. 5.

Filius expoſitus ſibi acquirit. 6.

Pater exponens non habet Uſumfructum bonorum adventitiorum filii. 7.

Non poteſt modice coercere filium. 8.

Filius expoſitus lædens Patrem exponentem non punitur ut filius, ſed ut extraneus. 9.

Patrem vero percutientem non recte repercutit filius. 10.

Si tamen exceſſerit reverentiam aliquam excuſationem meretur. 11.

Liberi Expoſititii ſine conſenſu Parentum valide matrimonia contrahunt. 12.

Explicatur L. 16. C. de Nupt. 13.

Datur caſus ubi ſumtus ex pietate facti repeti poſſunt. 14.

Pater filio expoſito tenetur ad alimenta. 15.

Quod ex æquitate etiam obtinet in filio. 16.

Pater filiam expoſitam dotare debet. 17.

An filius propter expoſitionem Parentes exhæredare poſſit. 18.

Filius expoſitus à Patre hæres eſt inſtituendus. 19.

Filio ſilentio præterito quoad inſtitutionem non valet teſtamentum. 20.

Nonnunquam Pater exponens poteſt

poteſt pænitere ſibique vindicare partum. 21.
Pater vindicans tenetur reſtituere impenſas alimentationis. 22
Vt & ſumtus ſtudiorum. 23.
Patrem ſe aſſerens paternitatem probare debet. 24.
Filium expoſitum invitum in poteſtatem non revacare poteſt Pater. 25.
Expoſitus ab alio educatus eſt loco filii. 26.
Debet Educatori reverentiam. 27
Eſt in domo Educatoris. 28.
Accipit nomen Educatoris. 29.
Accipit Tutorem vel curatorem ab Educatore. 30.
Si dives, Educator vero pauper, illum tenetur alere. 31.

POſtquam præcedente Cap. ſtatum conditionem & alimentationem expoſititiorum conſideravimus, ſequitur ut ad jura inter Parentes & liberos, educatores & alumnos intercedentia progrediamur. In genere ita ſtatuendum videtur; Quæcunque commoda parentibus ex ſocietate paterna obveniunt, illis exponentes cenſentur renunciaſſe. Quæ vero commoda liberis debentur ut liberis, illis expoſitio præjudicare non debet ſi poſt apparuerint parentes hujus partus, arg. *L. 65. §. 3. ff. pro ſoc.* Commoda quædam ſunt communia utrique parenti, quædam ſunt propria patri ex juſtis nuptiis tali. 1. Nobiliſſimum jus patri competens eſt patria poteſtas cum juribus ex eâ deſcendentibus. Hanc poteſtatem per ipſum improbum expoſitionis factum pater amittit, *L. 2. C. de inf. expoſ.* idque non ſine ratione. Dum enim Pater filium ſemel dereliquit, non alterius ſed ſua culpa ſe patriâ poteſtate privat, quare etiam illud damnum quod per amiſſionem patriæ poteſtatis ſentit, in jure ſentire non videtur, cum non poſſit ſuum dicere, 2. quem pereuntem contemſit *d. L. 2. in f.* Et hic nihil intereſt, an pater ipſe exponat filium, an alius eo conſentiente vel ratum habente expoſuerit, quia idem eſt quoad jus perdendæ patriæ poteſtatis *Cap. 1.* & ibi Abb. *n. 1. & 2 de inf. ex-* 3.

poſ. Gratian. *Diſcept. Forenſ. C. 267. n. 4.* Aliud tamen dicendum quando ignorante Patre infans exponitur, tunc enim quando nullius culpæ reus eſt *jura patriæ poteſtatis* integra manent, ita tamen, ut teneatur refundere impenſas educationis, niſi fortè fur ſit qui aluit, *L. 1. C. de infant. expoſ.* ille
4 enim propter ſpeciale odium furti hominis, non repetit expenſas, licet aliàs neceſſarias impenſas repetere valeat ſimplex malæ fidei poſſeſſor, *L. 5. C. de R. Vind.*

Quoniam igitur Pater exponens liberos, expoſitos non
5 habet in ſua poteſtate, neque nepotes in ſuâ poteſtate habere, & commoda illis obvenientia percipere poterit, quia nemo in ſuâ poteſtate habere poteſt eum, qui alterius poteſtati eſt ſubjectus, arg. *L. 21. ff. ad L. Jul. de adult. L. 5. ff. de his qui ſui vel al. jur. ſunt.* Amiſsâ igitur patriâ poteſtate etiam
6 amittuntur jura patri aliàs competentia. Hinc filius non patri ſed ſibi acquirit, arg. *§. 1. I. per quas perſ. nob. acq.* quoniam eſt perſona ſui juris. Similiter quæ reſpectu filii in P. P. dicuntur adventitia bona filii, illo invito pater admini-
7 ſtrare non poteſt, *arg. L. 1. C. de bon. mat.* nec etiam uſusfructus bonorum adventitiorum, cujus teſte Klock. *Tom. 2. Conſil. 65. n. 1. 2.* baſis & fundamentum patria poteſtas eſt, non ad patrem, ſed pleno jure ad expoſitum pertinet, ut inde pro lubitu de illis diſponere, donare, alienare, & in quemcunque transferre poſſit, quoniam cenſetur eſſe Paterfamilias, *arg. L. 4. ff. de his qui ſui vel al. jur. ſunt.*

Sublata patriâ poteſtate inter patrem & filium expoſi-
8 tum, neceſſe etiam eſt ut ceſſet decens emendatio, & jus modicè coercendi filium, quod alias patri de Iure Civ. competit *L. un. C. de emend. propinq.* Hinc ſi forſan ejusmodi pa-
9 trem offenderit filius aut læſerit, læſio illa non aliter erit æſtimanda, quam ſi hominem nullo jure patriæ poteſtatis ſibi conjun-

conjunctum læſiſſet, eaque propter judex non debet caſtigare delinquentem ad arbitrium & voluntatem patris, arg. *L. 3. C. de patr. pot.* ſed pro modo admiſſi & ut religio jus dicentis ſuggeſſerit: pium tamen & in conſcientia tutum erit, ſi talis filius à læſione etiam injuſti patris abſtinuerit. 10.

Quod ſi vero patris exponentis tanta ſit malitia, ut capiti & fortunis expoſiti inſidias ſtruat aut palam eum oppugnet, vel verberibus afficiat, offenſionem illam plane injuſtam eſſe ſatis apparet, ſicque talis pater offendens ut alius aggreſſor repellendus videtur, juxta illud: Vbi offenſio eſt injuſta, ibi defenſio eſt licita, *L. 4. C. de his qui ad Eccleſ. conf.* Quoniam tamen etiam injuſtus Pater, (ut dictum) naturâ pater eſt, & poſt Deum injuſtis quoque parentibus liberi vitam adſcribere debent; Ideo putaverim conſultius eſſe, ut quantum fieri poteſt, filius ille patris perſonæ, ut- 11.
ut aggreſſoris, parcat. Si tamen provocatus exceſſerit reverentiam juſto patri debitam, excuſatione non indignum judicaverim.

Liberos ſine conſenſu Parentum nuptias contrahere non poſſe ſatis evincitur ex *§. 1. I. de nupt.* Iuſſum enim parentum præcedere debere & naturalis & civilis ratio ſvadet. Æquum quippe eſt, eos qui ad illam usque ætatem liberos educarunt, Parentibus ſcilicet à liberis hoc honoris haberi, ut in ſuo matrimonio Parentis conſenſum exquirant, Imò de jure Civ. matrimonia ſine conſenſu paren- 12.
tum contracta pro nullis reputantur *§. 12. I. de nupt.* Quod tamen ſecus in liberis expoſititiis, qui non requiſito Parentum conſenſu validè matrimonia contrahere poſſunt. Graviter huic ſententiæ obſtare videtur *Lib. 16. C. de nupt.* 13.
ubi habetur hic caſus: Titius qui expoſitam filiam ſuſcepit & educavit, illam adultam filio ſuo matrimonio conjungere cupit; Requirit autem patris naturalis conſenſum, qui

vel

vel conſentire, aut ſi diſſentiat alimenta refundere tenetur. Ex quo textu videtur dicendum, patris exponentis conſenſum eſſe neceſſarium. Brunnemannus quidem cauſam paupertatis præſupponit in ſuo *Comm. ad dict. leg.* & ita conciliationem quærit. Surdus vero *de alimentis Tit. 6. qu 1 n. 15.* ſpecialem hunc eſſe caſum aſſerit, quas expoſitiones aliis relinquo. Mihi placet ſententia Dn. D. Böttickeri *ſtudiorum meorum promotoris fideliſſimi*; ſcilicet patris naturalis conſenſum non ex neceſſitate, ſed potius ex civilitate hic requiri. Quod & ſatis apparet ex verbis *dict. L. 16. verb. favere voto convenit.* Non enim ex LL. Codicis argumentum eſt trahendum â voluntate ad neceſſitatem, præſertim cum Imperator in ſpeciali caſu quæſitus ratione circumſtantiarum reſpondit, & aliàs in Deciſionibus ejusmodi argumentum â contrario ſenſu, aut â poſitione unius ad alterius illationem non facile admittitur. Quod autem Pater conſenſum denegans impenſas refundere teneatur, ad hoc, partim in pœnam expoſitionis, partim in redhoſtimentum obligatur, & incivile videtur, quod pater honorem patri debitum exigere, nec tamen incommoda alimentationis ferre velit. Illud tamen ex hac L. notari
34 meretur, quod nempe detur caſus, ubi ſumtus ex pietate facti repeti poſſunt.

Commoda quæ liberis debentur itidem ſunt varia. Et
35. quidem patrem filio expoſito teneri ad alimenta, indubitati juris eſt. Illa enim ſalvo jure naturæ filiis detrahi non poſſe diximus. Sed quæritur, an in caſu neceſſitatis eti-
36. am hic â filio expoſito ſit alendus. Ex cauſa quidem patriæ poteſtatis neceſitatem alendi non deſcendere aperti juris eſt, quod vel ex hoc unico probari poteſt, quod filius emancipatus certo caſu etiam debeat alere patrem. Hinc ratione hujus res erit expedita. Sed quoniam pater aut

mater-

mater exponens videtur renunciaſſe ſocietati, quæ inter parentes & liberos intercedit, & per conſequens quoque renunciaſſe cenſendus eſt favori & commodo ſocietatis, idcò alimenta exigere haut valebit. Putarem tamen eſſe boni filii, ut alimenta præbeat patri in ſumma neceſſitate conſtituto, quoniam ſatis eſt beneficii, ſe juxta Deum ab eo vitam accepiſſe, idque propter æquitatem, Licet enim ſit contemtor LL. & impius, tamen pater eſt, *Nov. 12. C. 2.* 17.

Sic pater exponens filiam, licet jus patriæ poteſtatis amittat, filiam tamen dotare debet. Nec hic rectè objicitur, quod neceſſitas dotandi deſcendat ex patria poteſtate, qua ceſſante & dos ceſſare debeat, *L. f. C. de dot. prom.* Nam licet regulariter hoc ita ſe habeat, tamen hoc plures patitur limitationes, quas Dd. ad *tit. de jur. dot.* exponere ſolent. Pater enim tantum amiſit poteſtatem quoad ſibi favorabilia & utilia, non vero quoad oneroſa & damnoſa. Etenim ubi aliquis propter odium conſideratur ut alius, tunc id locum habet in odioſis, non in favorabilibus *L. 50. §. 1. ff. de leg. 1. L. 65. §. 6. ff. pro ſoc.* Accedit & hoc, quod pœna non debeat eſſe cauſa præmii, arg. *L. 22. ff. de neg. geſt.* Vtique autem hoc vergeret in præmium parenti exponenti, ſi liberaretur ab onere dotandi, quod jam tum antea ipſi incumbebat. Surd: *de alim. Tit. 6. qu. 18. n. 19.*

Nunc videndum, An filius expoſitus propter expoſitionem factam Parentes exheredare poſſit. Sane ſi inſpiciamus *Nov. 115.* de eo, qui vitæ privandæ cauſa expoſuit res erit clara. Verum ſi eâ mente expoſuerit, ut ab alio inveniatur, merito dubitandum; quoniam juxta verba *dict. Nov.* nullæ aliæ cauſæ ſunt admittendæ, quam quæ ibi expreſſæ. Quod tamen Dd. & LL. Interpretes non obſervant ſed potius ſtatuunt, nihil prohibere, quo minus ob cauſas æque graves exheredatio admitti poſſit, Sutholt 18.

Diſſert. ad Inſt. 9. §. *60.* Hinc non eſſet abſurdum ſtatuere, illam exheredationem etiam locum habere in Parentibus, qui non pereundi ſed ſervandi animo infantem doloſe expoſuerunt. Neglexerunt enim ſuos liberos, qui ſibi ipſis opem ferre non valebant. Sed hac exheredatione fortè non opus erit, cum præter aliam pœnam in eos ſtatutam ipſo jure ſucceſſione & omni utilitate ex filio proveniente privantur, teſte Tholoſ. *Syntag. Jur. Univerſ. Lib. 45. Cap. 10. n. 12.*

19. Sed quæritur hic; Anne contra filius expoſitus ſit à patre inſtituendus? Exemplum aliquod occurrit in *L. 29. ff. de teſtam. man.* Si habens uxorem prægnantem illam repudiaverit, accipiendo aliam, & prima uxor filium quem peperit expoſuit, nihilominus talis filius poſtea ab alio educatus & nomine patris vocitatus, usque ad vitæ tempus patris tanquam præteritus rumpit teſtamentum, quoniam nec exheredatus, neque heres inſtitutus. Puto igitur filium expoſitum omnino eſſe heredem inſtituendum, quoniam

20. nihil commiſit exheredatione dignum. Quod ſi igitur pater ſilentio præterierit expoſitum, teſtamentum ejus, quoad inſtitutionem non valebit, *L. 30. ff. de lib. & poſth. Auth. Ex cauſa C. de lib. præt.* modo filius ex juſtis nuptiis fuerit procreatus, Nam ex Concubina conceptum aut vulgò quæſitum non eſſe inſtituendum vel exheredandum aperti juris eſt.

21. An autem Pater exponens poſtmodum pœnitere, partum agnoſcere ſibique vindicare poſſit quæſtionis eſt. Et quidem ſi conſtat de legitimo matrimonio, filiusque conſentiat, ut ſit illius qui expoſuit, non opus habet magna probatione quod ſit filius, ſed reaſſumtum, eſſe in quaſi poſſeſſione filiationis non eſt dubitandum. Quæ poſſeſſio licet per expoſitionem videatur turbata, recuperatur tamen, ſi poſtea à Parentibus fuerit agnitus & vocatus filius, *L. 29. ff. de*

ff. de teſt. man. Gratian. *Diſcept. Forenſ. Cap. 267. n. 27.* Eo tamen caſu, quando filius expoſitus fuerit educatus & alimentatus ab alio, pater repetens tenetur reſtituere impenſas in educationem factas. Sunt enim hæ impenſæ quaſi neceſſariæ, quas rem ut ſuam repetens refundere tenetur. Et quemadmodum Pater ad alendum & dotandum, ita etiam ad ſumtus ſtudiorum ſuppeditandos eſt aſtrictus. Nam cum ſtudiorum favore multa concedantur, Bologuett. *ad Auth. Habita, C. ne fil. pro patr.* præſertim ratione ſanguinis *L. 4. ff. ubi pup. mor. vel educ. deb.* etiam in hoc eorum favor obtinebit. Et pater quando id ejus facultates ferunt tenebitur curare filium erudiri ſcientia legali vel in arte medica aut ſimili, non tantum in grammatica, uti latè contra Bartolum illud defendit Menoch. *Conſil. 50. num. 12.* 22. 23. 24

Sed quid dicendum ſi de afferente ſe patrem naturalem eſſe dubitetur, quomodo erit probanda paternitas? (ut hoc verbo utar) Hiſtoriarum Autores aſſerunt quidem, mulieres ſive meretrices, quæ ſævo crimine exponebant liberos, non oblitas penitus ſe eſſe matres, ſed ex ornatu ſuo quædam cum filiis exponere ſolitas eſſe, quibus aliquando cognoſcebant liberos. Petr. Victor. *Lib. 2. var. lect. Cap. 3.* Plutarchus *in Theſeio.* Sed fallax hoc eſt argumentum fatente etiam Petr. Gregor. Tholoſ. *Synt. univ. jur. lib. 45. Cap. 10. n. 12.* Sed ut aliàs in negotiis ubi valdè difficilis eſt probatio multum judicis arbitrio tribuitur, ita & nos hanc rem arbitrio Iudicis committendam cenſemus. Quod autem dictum eſt patrem poſſe revocare & agnoſcere partum expoſitum, hoc non ita intelligendum, quaſi invitum in poteſtatem revocare valeat, dum enim ille ſemel patria poteſtate liberatus eſt, id quod in favorem ejus eſt introductum citra voluntatem in ejus odium torqueri non debet. Et in 25.

gene-

genere conſtitutum, ut nemo invitus in patriam poteſtatem citra culpam ſuam redigatur.

Reſtat ut paucis agam de jure quod inter educatorem & hujusmodi ſuſceptum ac alumnum intercedit. Dictum autem eſt, quod talis educator hodie nec dominium nec
26. patriam poteſtatem in alumnum acquirat. Quoniam tamen ejusmodi alumnus eſt loco filii, aliqualis reſpectus &
27. inde reſultans jus inter has perſonas intercedit. (1) Talis alumnus Educatori debet reverentiam, ejusque perſonam debet ſanctam habere; quamvis enim educatori originem vitæ non debeat, debet tamen ipſi magna ex parte ejus conſervationem; Hinc alumnus non poteſt accuſare educatorem *L. 17. C. de his qui accuſ. non poſſ.* niſi forte ſuam ſuorumque
28. injuriam velint vindicare, Gothofr. *ad d. L.* (2) Sunt in domo educatoris, ut tertius interdicto de libero homine exhibendo eos ab educatore avocare non poſſit, *L. 3. §. 4. ff. de lib.*
29. *hom. exhib.* (3) Accipiunt nomen educatoris, *arg. L. 88. §. 6.*
30. *ff. de leg. 2.* (4) Educator poteſt dare tutorem vel Curatorem, â Magiſtratu tamen confirmandum, *L. 34. §. 1. ff. de uſufr.*
31. *leg. L. 32. ff. de Excuſ. Tut.* (5) Æquitas ſvadet, ut ſi educator poſt ſeipſum alere non poſſit, alumnus dives hunc alat, *arg. L. 25. §. 11. ff. de hered. pet.*

CAPUT V.

DE POENIS.

SUMMARIA.

Si infans ad mortem expoſitus perierit qua pœna exponens ſit afficiendus. 1.

Exemplum ubi beſtiæ filii expoſiti miſertæ ſunt, illumque educarunt. 2.

Quæ pœna obtineat ſi infans ad mortem expoſitus ſalvus reperiatur. 3.

Adducuntur ſententiæ nonnullorum Doctorum. 4.

Weſen-

Weſenbecii & Habnii opinio anterſertur. 5.
Rationes ſubjiciuntur. 6.
Quæ ſententia aliorum autoritatibus confirmatur. 7.
Infans aliorum miſericordiæ expoſitus ſi præter intentionem perierit, qua pœna exponens ſit afficiendus. 8.
An ab omni pœna immunis ſit qui infantem ſervandi animo expoſuit, illeque ſervatus ſit. 9.
Adducitur exemplum ubi hoc caſu puella abſoluta. 10.
Communiter hic relegatio locum habere ſolet. 11.
Quæ pœna obtineat ſi mandans expoſitionem in loco populoſo; mandatarius fines mandati exceſſerit & in ſolitario expoſuerit. 12.
Quâ pœna afficiendus qui non auxilium adhibuit ſed tantum conſilium in exponendo ſubminiſtravit. 13.
Diſtinctio ſubjicitur. 14.
An meretrix filium ponens ante fores ſtupratoris, illum expoſuiſſe dicatur? 15.
An propterea ſit punienda? 16.
Quid ſi infans frigore perierit? 17.
In quibus perſonis hac pœna locum inveniat. 18.
An crimini expoſitionis poſſit præſcribi. 19.
Concluſio. 20.

SUpereſt ut in hoc Cap. ult. agamus de pœnis exponentium liberorum. Pœna autem eſt vel civilis, quæ tendit ad tollenda jura inter parentes & liberos conſtituta; vel eſt criminalis, quæ pœnam corporis afflictivam ſecum trahit. De pœnis civilibus jam tum egimus in Capite præced. ubi jura inter Parentes & liberos explicavimus. Hinc crambem bis coctam apponere ſuperſedeo. De pœnis itaque corporis afflictivis agere jam animus eſt. Varias autem Dd. ſtatuunt pœnas ratione admiſſi; non tamen quoad pœnam ipſam inter ſe conveniunt, cum alii duriorem, alii mitiorem viam eligant.

1 Primo itaque lubet quærere: Quid ſtatuendum ſi infans in locum ſolitarium eâ intentione exponatur, quo inedia pereat, vel â beſtiis devoretur, anne eventu ſubſecuto exponens pœna Legis Corn. nempe gladii afficiendus? Affirmat Carpz. *Pr. Crim. qu. 10. num. 5.* Idque ex eâ ratione, quod licet manu ſuâ non interfecerit infantem, tamen directo cauſam, illamque proximam mortis præbuerit, & tale quid admiſerit, ex quo infans non potuit non mori, P. H. O. *art. 232.* Quod ipſum adeo crudele eſt, ut etiam beſtias ejusmodi infantibus pepercisſe, illosque uberibus admoviſſe legamus.

2 Vt enim ab antiquis ceu fabulis ceu hiſtoriis abſtineam, ex additionibus ad Lamberti Schafneburgenſis librum de rebus geſtis German. recentius exemplum refert Dn. Caſpar Sagittarius *in Diſp. Philoſophica de Expoſitione infantum. Cap. 4. §. 11. Anno M. D X L I V. quidam puer in partibus Haſſiæ eſt deprehenſus. Hic ſicut poſtea cognitum eſt, & ipſe retulit, cum trium eſſet annorum à lupu eſt raptus & mirabiliter educatus. Nam quamcunque prædam lupi pro cibo rapuerant, ſemper meliorem partem ſumentes & arbori circumjacentes ipſi ad vorandum tribuebant. Tempore vero hyemis & frigoris foveam facientes folia arborum & alias herbas imponentes puerum ſuperponebant, & ſe circumponentes ſic eum à frigore defendebant; & ſecum currere tam diu, quoad ex uſu eorum velocitatem imitabatur & ſaltus maximos faciebat. Hic deprehenſus, lignis circumligatus, erectus ire ad humanam ſimilitudinem cogebatur. Idem verò puer ſæpius dicebat; ſe multo carius cum lupis, ſi in ſe eſſet, quam cum hominibus diligere converſari. Puer iſte in curiam Henrici Principis Haſſiæ pro ſpectaculo eſt allatus. Hoc etiam eodem anno contigit in Weſteraviâ in villa Echzel, ibi enim puer duodecim annorum cum lupis erat in ſylva, quæ vulgò dicitur* Die hart/ *& in venatione à Nobilibus hyberno tempore captus fuit.*

Putat etiam Carpz. *dict. loc.* quod ſi Judex eo in caſu pœnam culei, aut deficiente aqua pœnam rotæ dictitet, nil præter juſtitiam faciat, & ita quondam judicatum fuiſſe teſtatur.

Sed quid juris, ſi in fans in ſolitario & ab omni 3.
hominum conſortio remoto loco ad mortem expoſitus forte fortunâ inveniatur, & ita præter intentionem exponentis ſalvus ſervatus ſit? Zierizius *ad dict. art. 132. Conſt.* 4
Crim. ſtatuit, expoſito infante dolo malo, licet eventus non ſit ſecutus, nihilominus locum eſſe pœnæ capitali. Quam ſententiam etiam amplectitur Berlich. *P. 4. Concl. 7. num. 38.* referens, ita nonnunquam fuiſſe judicatum à Scabinis Lipſienſibus. A quâ tamen ſententia merito divortium facit Hahn. *Obſerv. ad Weſenb. Paratitl. ad L. Cornel. de Sicar. &* 5
veneſ. num. 14. in f. quia hodie conatus ſolus non punitur pœnâ ordinariâ. Licet enim hoc caſu res ad actum con- 6
ſummationi proximum deducta fuerit, & nonnullæ LL. delicta incepta, præſertim atrociora, puta raptus, læſæ Majeſtatis, pro completis habere, & conatum pro effectu punire poſſint, *L. 5. ad L. Jul. Maj. L. un. §. 3. C. de rapt. virg.* Ea tamen cum ſint enormia, propter ſingularitatem non ſunt trahenda ad conſequentias *Cap. in pœnis 49. de Reg. Jur. in 6.* cum alias regulariter in delictis mitius puniri ſoleat conatus delinquendi, quam perfectum delictum *L. 21. §. 7. ff. de furt. L. 1. §. 1. in f. ff. de extraord. crim.* Et delicta de aſſumto actu ſubſecutoque eventu intelligi debent *L. 225. ff. de V. S.* Iuvatur etiam hæc ſententia noſtra *L. 16. §. 8. ff. de pœn.* Pro quâ ſimiliter facere videtur Spec. *ad ant. cit. LL.*

Brunn. *Comment. ad L. 16. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Nec juri Divino contrariatur, ſed potius approbatur *Exod. XXI. v. 18. 19. Deut. XIX.* quod & jure Sax. aliàs duro & terribili obtinere teſtatur Weſenb. *ant. alleg. loc. n. 16.* ubi hæc & plura legi poſſunt. Æquius itaque eſt, ut hoc in caſu potius pœna fuſtigationis quam capitis dictetur.

8 Aliter etiam ſentiendum, quando Parentes infantem non quidem animo necandi, neque in ſolitarium, ſed ejusmodi locum, ubi homines frequenter ambulant, ut in platea ad ædes alicujus eo animo exponunt, ut vel Dominus ædis, vel prætereuntes miſericordiâ ducti, expoſitum ſuſcipiant & alant. Quo caſu, ſi infans præter intentionem exponentis, vel nimis ſerò, vel etiam plane non repertus, inedia conſumtus aut frigore periit; pœna quidem ordinaria parricidii hic locum non habebit, benè tamen fuſtigatio & perpetua relegatio, Carpz. *Pr. Crim. qu. 10. n. 10. & ſeqq.* quia tunc cauſa non fuit ordinata ad ſubſecutum eventum, cum ea, quæ per accidens eveniunt ex opere aliquo, non plenè imputentur agenti. Boſſ. *de homicid. n. 75.* Covarruv. *ad Clem. V. de homicid. ſecund. Part. relect. in §. 1. ſub n. 1.*

9 Quando vero infans vivus & incolumis reperitur, in exponente æque ac in caſu præcedente obtinere fuſtigationem cum perpetuâ relegatione ſtatuunt Matth. Coler. *P. 1. Deciſ. 58. n. 2,* Matth. Berlich. *P. 4. Concl. 7. n. 36.* (inter quos etiam refert Dn. Carpzov. Danielem Mollerum *Lib. 4. Semeſtr. Cap. 45. n. 7.* Sed quantum mihi videtur, dictus Autor, non loquitur de hoc caſu, ſed potius ſi mortis cauſa exponatur) Quæ tamen ſententia merito Carpzovio dura videtur, præſertim cum hoc caſu exponentis intentio non ſit alia, quam ut conciliandæ à prætereuntibus miſericordiæ cauſa, quam ipſe non habet, infantem exponat;

L.4.ff. de agn. & *al. lib.* & ut onus alendi in alium transferat ſicque pœnam delicti vel fornicationis evitet. De jure etiam Civ. ipſa expoſitio non pœnam corporalem ſed tantum extraordinariam infligit *L. 2. C. de inf. expoſ. L. 8. ff. ad L. Corn. de Sicar. Nov. 153. ubi Gloſſ.* & Dd. ut quam non impietas cauſari ſolet, ſed proprius honor. Et ſcribit Jul. Clar. *Lib. 5. Sentent. jur. § f. qu. 83. verſ. partum.* Senatum 10 Mediolanenſem abſolviſſe quondam puellam, quæ ad infamiam evitandam partum exponi juſſerat, cum non impietas eam moverit, ſed proprius honor, qui non modo filiis, ſed & propriæ vitæ anteferendus, *L. 8. §. 2. ff. quod met. cauſ.* Sed quid de hoc caſu ſentiendum aliis ponderandum relinquo. Non male tamen in patre vel matre mortis metu filium exponente, ut in Moyſe aliter ſentiendum exiſtimat Menoch. *de A. I. Q. caſ. 396. n. 7.* Melius itaque ſentire 11 putat Carpzov. *Weſenbecium in Paratitl. ff. ad L. Cornel. de Sicar. n. 14.* ſcilicet, exponentem hoc caſu, ſi infans incolumis repertus, relegatione ſolum puniri debere. Quod etiam non obſcurè indigitat Conſt. Crim. *art. 132.* Ubi hæc verba: **Stirbt aber das Kind von ſolchen hinlegen/ ſo ſoll man die Mutter nach gelegenheit des gefährlichen hinlegens am Leib oder Leben ſtraffen.** Hinc à contrario ſenſu concludendum, vivo infante non pœna corporis afflictiva exponentem coerceri, ſed pro arbitrio Judicis puniri debere; Quod etiam evinci poteſt ex verb. præcedentibus dict. art. 132. **Nach gelegenheit der Sache/ und Raht der verſtendigen.** Hæc Carpzov. *Pr. Crim. qu. 10. num. 15. & ſeqq.* Et ita ſecundum diſtinctos caſus pronunciandum eſſe publicè docuit Magnif. Dn. D. Claſenius *in prælectionibus ad dict. Conſt. Crim.*

facta expreſſa inhibitione, ne in loco ſolitario exponeret, ſed in loco populoſo, ordinaria pœna afficiendus ſit, ſi mandatarius fines mandati exceſſerit, anfractuoſa eſt quæſtio. Placet tamen ſententia negativa, ob illam rationem, quoniam verum necandi animum non habuit mandans, extra quem pœna parricidii non eſt efficiendus, *arg. L. 1. in pr. & §. 3. ff. ad L. Cornel. de Sicar. l. 7. C. eod.* Propoſitum enim & voluntatem delinquentis diſtinguere maleficia tradit *L. 53. in pr. & L. 39. ff. de furt.* Nec hic quicquam facere poterit, quod mandans cauſam mortis præbuerit, quodque in Jure nihil interſit, occidat quis an cauſam mortis præbeat, *L. 15. ff. ad L. Corn. de Sicar.* Etenim hujus legis verba ita ſunt temperanda, ſi nempe id fiat directò, non ſi indirecte. Hoc itaque caſu mandans non alia quam perpetuæ relegationis aut ad ſummum fuſtigationis pœnæ ſubjici poterit. Sed quid de mandatario? Pœnam quidem parricidii hic locum habere non poſſe certum eſt, cum propriè parricidium dicatur in Parentes & liberos, & per interpretationem etiam ad nonnullos cognatos & affines extendatur, niſi forſan ſit ejuſmodi perſona cognata. Quin tamen hic pœna L. Corneliæ affici poſſit, non eſt dubitandum. Unusquisque enim ex ſuo admiſſo ſorti ſubjiciendus eſt, *arg. L. 26. ff. de pœn. & L. Sancimus 22. C. eod.*

13 Sed quid juris erit in eo, qui quidem in infante expo-
nendo, auxilium non adhibuit, conſilium tamen ſubmini-
14 ſtravit. Diſtinguendum puto inter conſilium illud, ſine
quo nunquam facturus eſſet ille qui expoſuit, & illud, quod re jam tum propoſita melioris eventus gratia datum. Priori caſu conſulentem eadem pœna eſſe afficiendum quâ ipſe exponens probatur *arg. L. 3. §. 4. & L. 15. ff. ad L. Cornel. de Sicar. arg. L. 1. §. 13. ff. ad SCtum Turpill.* Farin. *Lib. 4. Pr. Crim. Tit. 15.*

Tit. 15. de conſultoribus, qu. 129. Poſteriori caſu ratione circumſtantiarum & pro arbitrio Judicis illum puniri debere facile apparet.

Quoniam etiam non rarò contingit, ut meretrices infantes 15. ponant ante fores ſtupratorum, præſertim eo caſu, quando à ſtupratore non agnoſcitur infans, vel quod ſe patrem neget, aut contendat illam etiam cum aliis concubuiſſe, non incommode quæritur, anne hoc caſu mater rectè dicatur filium expoſuiſſe, & ſi forſan frigore infans perierit, an etiam pœna capitalis hic locum habere poſſit. Ad primam quæſtionem reſpondeo, propriè ejuſmodi actum non poſſe dici expoſitionem, ſed potius eſt exhibitio quædam ad alendum, quæ alimentatio patri omnino incumbit. Interim tamen ejuſ- 16. modi mulier non impune feret tale factum, ſed pro arbitrio Judicis punienda videtur. Quod ſi tamen infans frigore 17 aut alio modo perierit, ob identitatis rationem eadem pœna quam ſupra n. 8. explicavi locum invenire poterit. Ut autem dictæ pœnæ locum habere poſſint, ne- 18 ceſſe eſt, ut afficiantur ejuſmodi perſonæ, quæ ſcire poſſunt, ſe propter perpetratum delictum affligi. In illis enim, qui propter infirmum animi judicium non intelligunt, ob quam cauſam ſentiant corporis cruciatum, finis ſive effectus pœnarum, qui eſt, ut pro delicto juſtas luant pœnas, poſtmodum abſterreantur & aliis exemplo ſint, obtineri non poterit. Hinc ſi forſan infans aliquot annorum natus, aut furioſus abjecerit infantem recens natum, & ita necaverit, Lege Cornelia non tenebitur, quoniam hunc innocentia conſilii tuetur, illum fati infelicitas excuſat, *L. 12. ff. ad L. Corn. de Sicar.*

aſſero, parricidii crimini 20 annis non poſſe præſcribi *L. 5. ff. ad L. Pomp. de parricid. L. 13. ff. de SCto Silan.* Imo volunt nonnulli, quoniam ejusmodi accuſatio perpetua eſt, nullo unquam tempore, ne quidem immemoriali præſcriptioni locum eſſe, Weſenb. *Comm. ad dict. tit. ff.* Farin. *Prax. Crim. part. 5. Qu. 120. num. 164. Oper. Criminal.* ubi plures citat. Berlich. *P. 4. Concl. 7. num. 86.* Licet diſſentiat Iacob. Cujacius *lib. 4. Obſ. C. 14.*

20 Sed ne præter intentionem excreſcat hæc mea Diſputatio, quam quoad fieri poterit, coarctatam volui, hic pedem figo. Interim B. L. etiam atque etiam rogo, ut ſi forſan nonnulla ſuo palatui minus accommodata videat, modeſtè de illis ſentire velit. Proteſtor enim, me non aliam ob cauſam ad hanc Diſputationem acceſſiſſe, quam ut poſt elaboratas duas Diſputationes, illasque ſub Præſidibus & maximis Benefactoribus publicæ ventilationi commiſſas, tandem ſine Præſide tenues ingenii mei vires explorarem, motus quam maximè juſſu illius, cujus nutu regor, exemplisque nonnullorum Dn. Commilitonum commotus. Tu vero æterne Deus, qui nullis meis meritis provocatus hactenus clementer ſtudiis meis annuiſti, ſuſcipe &, impoſterum mei tutelam & curam, itaque dirige omnes actiones, quo tendant in tui Nominis gloriam, mei & proximi commodum & emolumentum.

F I N I S.